

1601
*Henrici
 Gallorum,
 & Philippi
 Hispanorū
 Regum pri-
 mogeniti.*

*Philippus
 Fraxineus,
 Gallorum
 orator ad
 Venetos.*

exorti , Henrico mas , Philippo femina ; hæc decimo , ille quinto kal. octobris . Ingenti Galliæ Rex voluptate perfusus , quod in posteris regni stabilimentum cerneret , natum hominem pronunciavit , cui totus vita cursus , labor assiduus futurus esset , Regibus cunctis , ac Galliæ præcipue id proprium præfatus . Marinus Caballius , Reipublicæ legatus , illico ad Fontem Bellaqueum , quo Regina enixa fuerat , Henrico gratulaturus , se contulit : qui *magnum Reipublicæ amicum natum* affirmans , infantulum argentea cuna sub conopeo aureis liliis intertexto , legato ostendit . Mox per literas perque oratores de suscepta prole Senatum certiorem fecit ; cum haud multos post dies Venetas in ordinaria legatione Villierio suffectus Philippus Fraxineus accessit , qui Delphinum Galliæ regno exortum , eximiumque Henrici in Rempublicam animum amplissimis verbis significavit . Villieriusque in Galliam reversurus , complura de Regis in Italos Principes voluntate adjecit : *nuper recenti cum Hispanis pace , oblitum Italiæ qui crederent , vebementer decipi : quamvis enim Salassios non obtineret , complura tamen ei in Italianam itinera ad amicorum subsidia non defutura ; in iis duo presertim , alterum per Delphinatum , quem nuper a Sabaudo Salassiorum vice receperat , ex quo variis convallium semitis aditus pateat ; alterum per ferrum ac virtutem , quæ fane vi nulla retardari possit , nonnumquam naturæ quoque ipsi imperitat : hoc etiam iter Theutonicos , Gallos , Carthaginenses ingressos ; dum Annibal , aceto ac ferro asperrimis alpium complanatis jugis , viam sibi in hanc provinciam munivit : id porro , reliquis ademptis , numquam assuetæ maximis rebus Henrici IIII. virtuti defuturum . Complura in eamdem sententiam subdit , quibus compertum erat , eo non parum Gallum angi , quod res Italas penitus deseruisse , animoque illius provinciæ memoriam excidisse , in qua majores sui amplum imperium obtinuerant , Itali Principes existimarent . Villierius de more a Senatu donatus ; literæ , quibus ortum filium gratulabatur , ad Regem datæ ; ut idem officii genus præstaret , Caballio mandatum . Philippus quoque genitam sibi filiam Senatui per Verrium significavit ; perque literas illi ac per Superantium legatum gratulatio est habita .*

Inter